



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 4. Papa Ursinos sibi tradi, a Rege postulat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. III.

Sæcul. XVI.

A. C. 1503.

*Papa denuo in Regis gratiam redire
sollicitus.*

Alexander, cum sua consilia intempestive prodita intelligeret, probatæ fidei Virum ad Galliarum Regem ablegat, qui eidem promitteret, se in posterum neutri parti, nec Hispanæ, nec Gallicæ ullo pacto adhæsurum. Rex Pontificis Oratorem audire dedignatur, postquam vero Cardinalis de Ambasia, qui apud Regem gratia, atque auctoritate plurimum valebat, eidem exposuerat, quod, si Pontificis amicitiam continuo foveret, sperandum foret, Valentini Ducem copias suas Mantuani Marchionis exercitui juncturum, earumque ope Cajetam, quam Gallis eripere Consalvus conaretur, facile propugnandam esse. Rex hac spe deceptus, sedato indignationis impetu, Pampadurum decernit, qui de concordie legibus cum Pontifice ageret.

§. IV.

*Papa Ursinos sibi tradi, a Rege
postulat.*

Verum Alexander nimia Regis facilitate, aut ut verius dicam, imbecillitate abusus, inter pacis conditiones postula-

Ff 2

stula-

Sæcul. XVI. A.C. 1503. stulabat, ut Ursini, qui Gallis inviolabili fide addicti credebantur, eidem traderentur. Petitum hoc primo abhorruit Rex, quem tamen Cardinalis de Ambasia, mox ad Pontificis vota inclinabat, exponens, quod Rex nunquam Neapolis Regnum recuperaturus esset, nisi Papæ precibus cederet. Ludovicus Cardinalis sermone devictus consentit, ut omnes Ursinorum ditiones Pontificis imperio cederentur, eidemque Jordani Ursini Filius, a quo tanquam unico surculo tota Ursinæ posteritatis spes dependebat, committeretur.

§. V.

Petilianenses Ursinum Pontifici tradere renuentes.

Attamen, cum juvenis Ursinæ familiæ Princeps Petiliani educatus, haud obscura strenui Belliducis specimina jam jam edidisset, tantam sibi civium famam, amoremque conciliabat, ut illi omnes seditionem concitarent, simul ac Papæ Deputati urbem ingressi, adolescentem Ursinum sibi consignari, a Civibus postulabant. Ergo spretis Papæ mandatis, Principem e manibus suis sibi eripi, omnibus viribus obluctantur, ejusque securitati validis præsiis prospiciunt. Hac repulsa Jordanus Ursinus illius